

trariam sacrae scripturae, alij vt hareticam anathematizant.

*Secundo.* Ex patrum suffragijs, quae per 15. paginas refert, quae omnia hic transcribere Phisicos esset transgredi limites.

*Tertio.* Ex testimonijs Philosophorum. *Primo* ex Arist. 2. *Metaph. text. 4.* dicente illud quod est maxime ens, & maxime verum, est causa omnis entis. Deinde ex testimonijs cuiusdam libri Aristot. de Theologia secundum Aegyptios, vbi lib. 3. cap. 3. habetur quod ab ente necessario actiones omnes emanent. eiusque nutu omnis potestas in actum excitetur, refert varia huiusmodi R. Pater Raynaudus, postea id probat ex libro de causis propositione prima. Dicitur, causa prima adiuuat secundam super operationem suam, quoniam omnem operationem, quam efficit secunda, prima etiam causa efficit: & subdit, causa prima est maioris & vehementioris adhaerentiae cum re, quam causa propinqua, & non igitur causatum cause secundae, nisi per virtutem causae primae, quod est quia causa secunda, quando facit rem, causa prima quae est supra eam insitit super illam rem de virtute sua, quare adhaeret illi rei adhaerentia vehementi.

*Secundo rationibus, prima est.*

Postea agit in sequentium Theologum. R. Pater Raynaudus rationibus, quarum prima est Diui Bonau. in 2. dist. 37. art. 1. quae. 1. num. 8. his verbis. quod omnis actio sine subsistat peccato, siue non, secundum id, quod est actio, sit à Deo, oportet ponere, si pensetur eminentia diuina potentiae, & indigentia potentiae creatae, quia enim Deus est causa promordialissima, ideo est influentia maxima in causas secundas, & adeo magne influentiae, vt nec modicum seu quantumcunque paruum (dum tamen aliquo modo sit ens) procedat ab aliqua causa creatae, nisi cooperante diuina potentia: omnis etiam potentia creatae, quantum est de se, defectiua est, nec est pure actiua, quantumcumque, ergo faciat modicam operationem, necesse habet adiuuari ab ea potentia, quae est actus purus, propter omnimodam impermixtionem cum materia, & quae sola sibi sufficit, nullo modo indigens adiuuari à causa alia, & ideo hoc posito, quae dicit omnem actionem esse à Deo, secundum quod actio est absque omni ambiguitate tenenda est. Haec Genus S. Bonau.

*Secunda.*

*Secunda*, quam ex eadem radice dicit desumi, est haec: quilibet creatus effectus in suo fieri; seu in primo instanti suae productionis, est ens aliquod verum, non minus, quam toto reliquo tempore, quo durat; sed reliquo toto tempore, quo durat, cum sit ens essentialiter participatum, debet à Deo pendere effectiue, & per continuam productionem, seu per conseruationem accipere esse, ergo & in primo instanti debet à Deo effici: In Confirmationem addit, quod alioquin entia, quae conseruari, non possunt hoc est succellua, non penderent à Deo efficienter contra expressam Dauidis professionem, quae Psal. 138. agnoscit, si ad orientem mouendus sit, illuc esse eum deducturam diuinam manum: nihilq; dicit periclitari posse nisi minore, quae tamen dicit esse certam, nimirum quod non possit negari conseruatio, hocque videtur ait de fide propter expressissimas scripturas, adducitque varias auctoritates ad hoc, inter quas est illa D. Augusti. aduersus semiplegianos, quos queritur dedisse Deo secundas tantum, sibi vero solum primas arrogasse,

*Tertia Ratio* (quam tamen secundam duntaxat merito posuit, quia superiores duas in vnam conegit, quamuis per quatuor paginas) desumitur ex impedibilitate actionis causae secundae: Nisi Deus concurreret cum causis secundis, non posset earum actiones impedire; sed hoc est falsum, ergo & prius. Probat Maior; potest Deus tantum vno ex his tribus modis impedire actionem aliquam; aut destruendo causam: aut immittendo motum contrarium: aut per subductionem concausae alicuius necessariae: primus modus non videtur esse conueniens Deo, alioquin videretur, quod creatura superstes manens impedire posset actionem Dei; Diuinamq; voluntatem: nec potest dici quod impedit solum per immisionem motus contrarij; quia sunt multae formae, quae non habent contrarij, ergo saltem illae non possunt impediri per formam sibi contrariam immisionem, ergo tantummodo potest Deus impedire actionem causae creatae subductione concausae, id est suum concursum immediatum, ergo Deus ordinarie loquendo concurrat immediate cum causis secundis.

*Quarta.*

*Quarta.* Communiter docetur in Phisicis, quod causae secundae determinant Deum quoad speciem; at verò determinentur à Deo quo ad indiuiduū. homo enim generat hominem, non verò leonem, & hoc habet ex seipso, at verò quod generet hunc hominem, hoc habet à Deo determinante causam secundam ad hunc hominem, quomodo autem determinabit causam ad hunc hominem potius, quam ad alium, nisi immediate concurrat eum causa secunda ad hunc hominem producendum; & haec est summa eius rationis tertiae multo elegantiori stylo propositae, an verò clariori nescio.

Et haec sunt motiua, quibus R. Pater Raynaudus vitur in sequentium Theologū, non quidem ad hominem, vt patet, quia vt ipse R. Pat. ait sequens Theologus non negat immediatū concursum ad actiones necessarias, bene tamen ad liberas, quo fit vt postea corollarie videatur tantum agere contra dictum sequentium Theologū, dum num. 25. cap. 4. probat hoc modo, aut probare potius intendit Deum concurrere ad actiones liberas naturales, ex eo quod concurrat ad actiones necessarias naturales: Deus concurrat immediate ad actiones necessarias naturales, ergo ad naturales liberas. Item si voluntas non exigat cooperationem causae primae ad suum actum liberum, ergo nec ad suum actum necessarium, & haec pauca vocabula per duas dilatat paginas vocabulo potius, & grammaticaliter quam retenus. Et haec sunt rationes, quibus ad summū temeritatis verticem existimat se crexisse sequentium Theologum, quem etiam vt altius ascendere cogat, alios quoque gradus subministrabimus, sed forte male fidos, vt ostenderet. *Clypeo.*

*Quinta.*

Sit ergo quinta Ratio, quam etiam habet Aureolus, sicut & sequentem, ac subsequentem, eaque soluit dist. supra cit. Idem est creatio, & conseruatio: sed Deus est immediate conseruans omnem creaturam, ergo immediate agens omnem creaturam; En quam paucis, & clarissimis verbis antea adduxerat Aureolus, & diluerat, quod ad duas paginas & mediam extendit Pater Raynaudus, & nequidem facit mentionem de Responione Aureoli,